

agant secundum Jura et consuetudinem istius Regni nostri Sclauoniae; nisi Johannes Thahy vellet extraordinarium Judicium ultra subire. Reliqua ex ipso Johanne Thahy atque etiam Nuncio tuo Anthonio literato accipies. Hortamur te, ea diligentia et dexteritate rem omnem cures, ut majores molestiae Nobis de rebus Sclauonicis non oriantur. Et quamvis libenter vellemus, ut in Diaeta Hungarica nobiscum esses, cum tamen intelligamus, presentiam tuam etiam in Slavonia esse necessariam, contenti sumus, ut ibidem maneat et defensionem istius Regni Nostri Slavoniae et Croatiae et dissensionibus Regnicolarum componendis pro viribus incumbas, donec uberius tibi providebimus, id quod propediem facturi sumus. Secus igitur ne feceris. Datum Budae in festo beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Domini 1525.

A tergo :

Magnifico Francisco de Bathyan, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano ac Pincernarum nostrorum Regalium Magistro, fidei nobis dilecto.

Originale in Archivo Kórmendiensi Illustr. Principis de Bathyan.

CLXXXVIII.

Anno 1525. FERIA 2. post festum Pentecostes. Budae.

Ludovicus II. Rex Franciscum de Batthyan, Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banum hortatur, ut omnibus viribus contendat, quo negotia in Diaeta Slavonica, ad quam Joannem Decshazy oratorem mittit, bene absolvantur.

Commissio propria Domini Regis.

Ludovicus, Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae etc.

Magnifice fidelis nobis dilecte. Hortamur fidelitatem tuam, et tibi etiam committimus, quatenus tam per te, quam per fratres et amicos tuos omni studio contendas, ut negotia nostra, et Regnorum Nostrorum, pro quibus ad Diaetam Regnicolarum Regni Nostri Slavoniae fidelem Nostrum Egregium Stephanum Decshazy, Aulae nostrae familiarem, misimus, optato fine concludantur; quod